

Konrad Friedlieb    Jacob Gammelín

## **De iure Revocandi Feuda Sine Consensu Eorum, Quorum Interest, Alienata, Discursus Feudalis**

Gryphiswaldiae: Doischer, 1674

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn805006192>

Druck    Freier  Zugang









K. N. — 2 (118.)



1. Valentin von Windburns Rathung dar in ainlichen Anweisungens Maß  
in Günde quodammodo mndelumbirgipfens Annotus, in Anspung des  
Herrn Just. Christian Ludwig.
2. Balcege de pueris conjugum suorum secundum jura Prothionia
3. Idem de donationibus inter conjuges.
4. Schorch de cumulatione petitionum cum possessione.
5. Major de bonarum artium in promovenda mercatoria utilitate.
6. Fischer Panegyricus Frederici II. Borussiae regis.
7. Loebel de mutatione formarum in vestibus. non Harandung  
dar Alnidus Modus
8. Schoetgen de nolis in vestitu.
9. Schmidt. Coetus de colore judicantis.
10. Schroeder de rusticis eruditione clavis
11. Sidel de obligatione hominis ad religionem.
12. Kahl de divinatione.
13. Nexus Pomeranice cum S. R. G. Imperio.
14. Beserer de interventione post sententiam.
15. Bircerer de decreto quod de electione episcoporum fit.
16. Blaauw de societate.
17. Boehmer de legitima cadaveris occisi sectione.
18. Trendelenburg oratio in natales Juris Frederici
19. Meißner vindicta legislationis Justinianae de mixto tempore com-  
putando.
20. Bunekau de separatione liberorum ex jure Germ. imprimis Lubecensi.
21. Species facti non dar zu Soltbertin 1738. gualtunus Frondignus Muff
22. de Friedenberg de jure eoque recta docendi et defendi ratione.
23. Gelfering de tractandi per Romanorum methodo.
24. Harpprecht de usufructu statutaris materno
25. Böhmner ob nag dar alius mndelumbirgipfens Anweisungens non Jafz  
1552 dar Superintendentus non dar Patronus in ipsum patronat dingsu  
zu dar Frondignus Statutus zuegen zuegen unndus unndus?
26. Fricelich de processu judicario civili et feudali.
27. Idem de jure revocandi sententiam
28. Idem de agrorum jure et privilegiis.
29. Müller de subtili disputandi ratione in causa publicae utilitatis rejicienda
30. Hartel de tutore alienae jurisdictionis.
31. Bastineller observationes forenses.



23. Bafineller num liberia abfentes portionis a matre de bonis post obitum  
dividendis cum aliquibus liberis inita egrati, mortua matre illam de-  
beant implere?

33. Winkler de expensis termini.

34. Bafineller felicitas quaedam a Sed. receptae fententiae examina-  
tae et reputatae.

35. G. B. Beermann de obligatione mandantis erga mandatarium fi-  
nes mandati eademtem.

36. Bafineller de fufceffione viduae. ex lege Halenfi.

37. Brantzen de remiffione et mitigatione poenarum.

38. a. Brandwyck ad C. a. f. u. b. i. s. q. de C. Rhodii de jactu.

39. Brand de legitima maleficos et fagas convincendi ratione et inve-  
ftigandi.



D. O. M. A.

27

DE

# JURE REVO- CANDI FEUDA

SINE  
SENSU EORUM,  
QUORUM INTEREST,  
ALIENATA,

DISCURSUS FEUDALIS

*suffragante,*

Nobilissimo Jctorum Ordine

*IN ILLUSTRIS GRYPHICAE,*

PRÆSIDE

DN. CONRADO Friedelich /

U. J. D. placitorum Feudalium & Juris Publici  
Professore Ordinario Regio,

*loco horisq; consuetis*

Erudito Literatorum examini

subjectus

d. 20 Februarii

à

JACOBO GAMMELIN, Wolgast.

GRYPHISWALDIÆ

Typis MATTHÆI DOISCHERI Acad. Reg. Typogr. Anno 1674.



D. O. M. A.

JURE REVO.

CANT. FEUDA

CONSENSU FORUM

FORUM TERRAS

ALIENAS

D. S. C. U. S. S. F. E. U. D. A. T. I. S.

Notandum est quod in

in hac parte

P. R. E. S. I. D. E.

D. M. G. O. N. T. R. A. D. O.

U. S. D. p. h. i. c. o. n. s. e. n. s. u. f. e. u. d. a. t. i. o. n. i. s. q. u. i. b. u. s. T. o. l. l. i. t.

Professore Ordinario Regio.

h. o. d. o. r. e. c. e. l. e. b. r. e.

Erud. Licent. in ex. l. i. c. e. n. t. i. a.

l. i. c. e. n. t. i. a.

d. d. s. s. s. s. s.

Jacobi Gammelin, Weidm.

Erud. Licent. in ex. l. i. c. e. n. t. i. a.

U. S. D. p. h. i. c. o. n. s. e. n. s. u. f. e. u. d. a. t. i. o. n. i. s. q. u. i. b. u. s. T. o. l. l. i. t.



DEO AUSPICE

DISCURSUS FEUDALIS

DE

JURE REVOCANDI FEUDA

SECTIO I.

DE MODO REVOCANDI

E JURE PROTIMISEOS.

§. I.



Alienationem feudi, latissimè sumpto alienationis vocabulo pro omni actu, quo jus in re transfertur, sive per dominii propriè ita dicti translationem, sive servitutis impositionem, *l. ult. C. de reb. alien. non alien.* sive pignoris constitutionem absque Domini consensu, vel quandoque agnatorum, cæterorumq; quorum interest, sive è necessitate, sive cum clausula: *salvo jure Domini.* in extraneum factam, tam actu inter vivos, quàm ultimâ voluntate nec in totum, nec pro parte subsistere in aperto est, *2. f. 52. & 55.* eò quòd alienatio plena plenum, nec ab alio dependens requirat dominium, quo tamen Vasallus destituatur, eaq; Domino non leve præjudicium inferat, quando periculum subfit, ne fidelis servitia militaria, propter quæ ei res in feudum data, hac in alium translata, subterfugiat, *d. 2. f. 55. princ.* nedum deterior ejus efficiatur conditio, dum illi incio & invito Vasallus fortè reprobis obtruditur, *2. f. 24. §. fin. Ludw. de*

A 2

*feud.*



*feud. c. 17. in fin. demum ne filiis & agnatis jus quaesitum auferatur. Hartm. Pistor. lib. 1. q. 4. n. 88. Carpz. p. 2. const. 48. def. 10. Struv. Syntagm. feud. c. 13. apb. 14.*

§. 2. Cum autem feudi alienatio isto modo illicita à parte tantum Domini ipso jure nulla sit, *c. 1. pr. 2. f. 44. & c. 1. pr. 2. f. 55.* à parte reliquorum, deficiente eorundem consensu, non ipso jure, sed demum per jus revocandi invalidetur, *Rosentb. de feud. c. 9. concl. 28. Schrad. part. 8. c. 6. n. 16.* imò ab ipso etiam Domino utut licita certis quandoque casibus infirmetur, lubet in praesens uberrimum aliàs & illustre hoc argumentum strictim evolvere. Nec attinet, quod *Obertus de Orto* jus revocandi feuda per Retractum redemptionem appellare gestiat, *2. f. 9. §. porro. sive de bona consuetudine*, siquidem eò libentius generatim hanc phrasin amplector, quò *revocandi ac retrahendi* verba magis latina & frequentiora perhibentur, non in rescriptis solum Imperatorum in *l. 1. C. de natural. lib. & l. 11. C. de fund. rei pr. verum etiam Responsis Prudentum*, ut in *l. 45. §. à debitoribus pr. ff. de jur. fisc. & l. Imperator. §. item rescripserunt agros. ff. de adm. rer. ad civ. pertin.*

§. 3. Scaturit hoc jus revocandi feuda è duplici fonte *Juris Protimiseos & delatae successionis*: Illud, de quo agitur *5. f. 13. & 14.* è vulgata horum librorum distributione, aliàs (mihi) *lib. 3.* nihil aliud est, quam jus pralationis certis competens personis ad contractum feudalem cum alio initum, nondum tamen perfectum inbibendum, vel jam perfectum retrahendum, sub solutione pretii, quod emptor dedit, vel dare paratus est intra tempus conventionis vel lege definitum: Hoc describere licet, quòd sit jus revocandi feudum sine consensu eorum, quorum interest, alienatum, competens iis, qui ex investitura jus succedendi habent contra feudi possessorem, mortuo demum alienatore, sub nulla pretii restitutione.

§. 4.



§. 4. Cujus utriusque vim & naturam ut rectè intelligamus, de *Jure Protimiseos*, ceu antiquissimo & in Republica Hebræorum jam recepto arguente textu *Lev. 25. Jerem. c. 32. v. 7. Ruth. c. 4. v. 4.* imò adhuc hodiè, licet dissentiant *Köppen. decis. 52. n. 11. & Matth. Berlich. vol. 2. pract. concl. 39. n. 2. per l. 14. C. de contr. emt.* minùs tamen in totum abolito, quin potiùs ubique terrarum è generali consuetudine usitato, *Gail. 2. obs. 19. Jac. Novell. de jure congr. princ. n. 26.* observes, illius effectum inprimis in prohibendo consistere, quandoquidem in materia revocationis feudi jus Protimiseos duo producit remedia, quibus agnatis in alienatione feudorum ad conservationem juris sui succurritur, nempe *jus Retractus* & *jus prohibendi*, c. 1. §. porro. 2. f. 9. *Herm. Vultej. de feud. lib. 1. c. 11. n. 81. Hartm. Pistor. lib. 2. p. 1. quasi. 11. n. 21.* licet ista inter se parum differant, nisi in his subsequentiis: (1) Quòd *Jus prohibendi* è vestigio competat, quamprimùm de alienatione futura inter contractantes tractari incepit, *Retractus* verò tum demùm initium sumat, quando perfectus jam est in sua forma contractus, atque traditio subsecuta. (2) Quòd *Jus prohibendi* eo ipso momento, quo contractus perficitur & consummatur, id est, feudum traditione dominio emptoris cedit, illicò expiret: *Retractus* autem non nisi præscriptione legitimâ finiatur. (3) Quòd *Jus prohibendi* competat agnato, vel alteri adversus venditorem, in cujus potestate est alienatio, non contra emptorem. Jus autem *Retractus* semper adversus emptorem, nunquam venditorem, intendatur. Deinde observes secundum Protimiseos effectum esse contractum feudalem perfectum retrahere; Utrum verò alterum ab altero excludatur, seu num agnato à jure prohibendi excluso adhuc pateat via ad ipsum retractum, quæstionis est? licet alii in negativam



sententiam inclinent, mihi tamen magis placet affirmativa cum *Rosentb. d. c. 9. membr. 2. concl. 86. Schrad. p. 8. c. 7. n. 8.* Ad ultimum notes pretii restitutionem unum esse Substantiale Protimiseos requisitum, per quod imprimis revocationi è jure successionis contradistinguat, idq; certos suos agnoscere terminos, seu temporum metas, quas non egrediatur, in tantum, ut, his finitis, nulli post-hac competat, vid. *Rosentb. dic. loc. concl. 86.*

§. 5. Cæterum afferuntur ab Interpretibus tres usitatae hujus juris species, juxta quas *Retractus* alius traditur *Conventionalis*, alius *Legalis*, alius *Gentilitius*, licet *Hinric. Zoës. ad Digesta tit. de lege commiss. ibiq; subjecto tractatu de Jure Retractus* hanc ultimam veluti *Retractus legalis* speciem agnoscat pag. (mibi) 395. n. 37. imò alii aliâ ratione retractum dividant, scil. in *conventionalem*, *legalem* & *municipalem*, atque hunc ultimum rursus distribuunt in *territorialem*, *consualem*, *partialem* ac *Gentilitium*, ut videre est apud *Bonavent. Govern. Dissert. de jur. retract. concl. 5. 6. & 13.*

§. 6. *Conventionalis* Interpretibus dicitur, qui è conventionione & pacto contrahentium proficiscitur, & hic, uti in aliis, certo modo licitus est, per *l. 12. ff. de prescr. verb. l. 2. C. de pacto inter empt. & vend. & c. 5. X. de empt. & vend.* ita nec in distractione feudorum prohibitus ullo ex argumento colligitur, prout enim feudorum naturæ haud ad-versatur, ut pretio comparentur, *l. f. 1. 3. 5. in fin. 7. & 24.* ita nec eorum Substantiæ retrovenditionis pactum ulla-tenus repugnat, quin potius ad hoc inservit, ut in continenti venditioni adjectum à feudi privatione Vasallum liberet, *Schrad. de feud. part. 9. c. 1. n. 19.* quamvis illud observari mereatur, illius effectum eousque se haudquam extendere, ut venditor feudum fortassis ab emptore rursus alienatum à tertio possessore revocare queat,



queat, sed hucusque tantum, quamdiu est in dominio  
emptoris, vid. *Gail. lib. 2. obs. 16.* qua occasione non alie-  
nam certè, licet intricatam ac perdifficilem hic movemus  
controversiam: Utrum Vasallus, si sub pacto de retro-  
vendendo alienaverit, proximior autem agnatus contra  
emptorem gentilitio retractu uti voluerit, nec minus is  
ipse tanquam venditor vi pacti postea feudum ab empto-  
re revocaverit, agnato sit præferendus? id quod affir-  
mandum ducimus cum *Tiraqv. de Retract. convent. §. 1. gloss. 7.*

§. 7. *Legalis* post hunc *Retractus* audit, qui per legem,  
adeoq; & consuetudinem & statutum, siquidem hæc duo  
generali quoque legis significatu veniunt, §. 3. *Inst. de Jur.*  
*N. G. & C. l. 3. C. de sentent. ex peric. recit.* certis personis in  
alienatione rerum prærogativam tribuentem constitui-  
tur, & prout Domino Emphyteuseos, l. 3. *C. de Jur. Emph.*  
imò inhabitatoribus metropolium & c. nec non possessio-  
ribus antiquioribus rerum fiscalium, l. 4. l. 5. *in fin. C. de lo-*  
*cat. præd. civil. vel fiscal. & c.* tum vicinis competit, *Zoës. d. l. n.*  
*36.* ita etiam Domino feudi rectè tribuitur, per c. 1. §. 1. *vers.*  
*porro. 2. f. 9.* in casu, quo consuetudine, vel lege municipa-  
li Vasallis, irrequisito Dominorum consensu, permittitur  
alienatio, *Schrad. de feud. p. 1. c. 3. n. 9. Schenck Baro in d. c. 1. §.*  
*1. vers. porro. 2. f. 9.* ubi tamen distinguas, Domino & agna-  
to unà in retractu hoc concurrente, inter *feudum novum &*  
*antiquum*, ita ut agnatus in feudo antiquo præferatur Do-  
mino, econtra Dominus agnato in feudo novo, utpote,  
in quo nihil juris habet, nisi pacto investituræ hoc nomi-  
natim ei fuerit indultum. *arg. c. 1. §. 2. vers. sin autem unus ex*  
*fratribus. 1. f. 1. & c. 1. vers. porro. 2. f. 9.*

§. 8. *Gentilitius* demùm *Retractus*, qui & dicitur *consan-*  
*guinitatis*, item *linearis*, & hinc per parentelam constitui,  
§. f. 13. id est, agnationem, aut cognationem, non æquè  
affini-



affinitatem, *Merckelbach. in Epitom. Tiragvell. conscl. 41.* cui ad-  
das *Gotbofr. in notis dict. tit. 5. f. 13.* paucis describitur, quod  
sit jus agnatis datum, & qui de familiâ sunt venditoris  
rem ab eo venditam intra certum tempus retrahendi,  
confer *Petr. Gregor. Syntagm. Jur. univers. lib. 26. c. 1. n. 4.* &  
*Zoëf. d. l. p. 395. n. 37.* & hîc, sicuti in rebus allodialibus, ita  
etiam feudalibus locum omninò invenit, per *text. 5. f. 13.*  
*ibiq. Dd. tum in §. 1. 2. f. 3. & §. Titius filios. 2. f. 26.* quibus  
jungas *Vultej. lib. 1. feud. c. 11. n. 81. Tiragvell. de retract. §. 1.*  
*Gloß. 3. n. 4.*

§. 9. Post expositas Retractus species, dispicien-  
dum de personis, quibus competat jus retrahendi: Inter  
has quoad duas priores species referimus (I) *Dominum feudi,*  
seu *Seniorem*, qui & vi pacti de retrovendendo in aliena-  
tione interpositi, & in casu, quando vel in literis investi-  
turæ pactum continetur de alienando, ut in *c. un. §. pen. 2.*  
*f. 26.* vel statuto, aut consuetudine provinciæ conceditur  
Vasallis alienatio, jure revocandi utitur ratione directi  
dominii, juxta *§. porrò. 2. f. 9. in verb. concessa erat Domino pro*  
*aquali pretio redemptio.* imò, facta à Vasallo, citra casum  
permissæ alienationis, feudi distractione, ipso jure illud,  
si fuerit novum, repetit, & à quovis possessore vindicat.  
*Struv. Syntagm. Jur. feud. c. 13. apb. 10.* Sed quid, an ne ab  
emptore feudi justè id ipsum revocatur, dum hætenus in  
alienationem Dominus consensit? Respondetur brevis-  
simis quod sic, quamvis enim omninò justum sua cuique  
permittere, *l. 9. C. de Judæis & Cælic.* imò nemo invitus de  
rebus suis quicquam facere teneatur, *l. invitum. C. de con-*  
*trab. empt.* major tamen æquitatis ratio militat pro Domi-  
no, eò quòd Vasallus & rem & causam habeat à Domino,  
illumq; penes semper maneat directum dominium,  
adeòq; par sit, ut habens directum dominium præferatur  
extra-



extraneo, qui utile tantum comparare valet, tum quod res ipsa in feudum data ita pristinam sui conditionem recuperat, retrahente Domino, utpote à quo nunquam disjuncta fuit. *arg. l. 27. §. 2. ff. de pact.* (2) *Ipsum Vasallum*, quatenus sibi pacto de revocatione prospexit. (3) *Simultaneè investitos* de jure Saxonico, welche die gesambte Hand haben / licet enim hi è juris communis dispositione, jure Retractus non gaudeant, dum spem saltem succedendi, non jus consecuti, juxta illius tamen juris dispositionem ipsum succedendi jus habent, usque aded radicatum, ut feudum à Vasallo sine consensu suo alienatum à quovis possessore redimere, vel, exspectata morte alienantis, jure successionis revocare queant, confer *Hartm. Pistor. lib. 2. p. 2 q. 20. n. 25.*

§. 10. Ad posteriorem scil. *Gentilitium*, seu consuetudinariam, vel linearium, ut vocant *Cbassan. in Consuet. Burg. tit. de retract. n. 1. & Tiragvell. de retractu municipali.* referimus in genere *Agnatos*, qui per virilis sexus personas nobis junguntur, vulgò die *Schwerdt-Magen / oder die von der Schwerdt-Seiten /* quos in materia revocationis solos regulariter voce *Parentela*, de qua supra, contineri existimo, quoniam præter hos nemini de jure feudali regulariter successio defertur, *c. un. 2. f. 11. & c. un. 2. f. 50* at Retractus Gentilitius per omnia naturam & jus successionis imitatur, *Mev. Com. Jur. Lub. p. 3 tit. 7. art. 1. n. 35.* dico regulariter, quippe aliquando & parentibus, vel cognatis in investitura jus succedendi tribuitur, atque tunc minime dubitandum, quin ex hoc pacto investituræ inserto, prout ad successionem admittuntur, ita etiam ad revocationem è jure Protimiseos, quia ubi successio, ibi etiam Retractus locum invenit, *Bertich. pr. concl. p. 2. concl. 39. n. 24.* in specie (1) *Descendentes filios, nepotes, pronepotes & posteros masculos,*

B



affinitatem, Merckelbach. in Epitom. Tiragvell. consl. 41. cui ad-

maculos, quippe vocabulum *Agnatorum* non minùs filios, cæterosq; descendentes, quàm *agnatos collaterales* designat, per l. 12. ff. de suis & legit. juncta l. 84. ff. de V. S. quâ ratione, etiam jus revocandi in genere proximis agnatis jure communi tributum, c. un. §. 1. 2. f. 3. rectè ad filios, cæterosq; descendentes extenditur. Rosenth. de feud. c. 9. membr. 2. concl. 88. Tenendum autem hîc est de filiis cæterisq; descendentibus, quòd legitime nati unicè intelligantur, ut ut *exhereditati*, Zoës. dict. loc. utpote quibus solis jus agnationis & successioneis competit, c. 1. 2. f. 11. non adoptivi, non naturales, neque legitimi sive per *rescriptum Principis*, sive per *subsequens matrimonium*, c. 1. v. adoptivi. vers. naturales. 2. f. 26. vid. Hartm. Pistor. d. l. 2. p. 2. q. 40. & Hotom. consl. 10. Tenendum insuper in feudo tantùm antiquo tam hereditario, quàm ex pacto & providentiâ revocationem hanc è jure Proximiseos, filiis concedi, eò quòd jus illud in sola proximitate radiceretur, hætenùs quòd feudum potiùs ad illum transferre deceat, qui aliàs successurus, quàm ad extraneum, Rosenth. d. l. c. 9. concl. 89. num. ult. Struv. Syntagm. Jur. feud. c. 13. aph. ult. non æquè regulariter in feudo novo, nisi fortè patri alienanti feudum contemplatione filii fuerit concessum, Lindem. Disp. feud. 3. c. 9. tb. 5. Rosenth. d. c. 9. m. 2. concl. 65. (2) Collaterales, Agnatos in specie sic dictos, quibus Retractus hac ratione competit, ut quousque descendentes suo jure utantur, eousque his via ad Retractum, præcludatur ob notissimum succedendi ordinem præscriptum in *Novell. 118. c. 1.* sed approbatum in c. 1. 2. f. 11. Si verò nolint, aut ob æris penuriam non possint, ex edicto successorio juxta gradus prærogativam, vel, si proximior jure suo non utatur, citra eam aperiatur, ita ut sequens gradu prioris locum subintret, Rosenth. d. l. concl. 82. Carpzov. pr. for. p. 2. Consl. 49. def. 7. Struv. d. l. aph. ult. aut, si plures



plures unius gradus sint, omnes simul admittantur, feudumq; alienatum pro rata portione recuperent, *Berlich. d. p. 2. concl. 39. n. 33.* id quod etiam in fratrum filiis, si soli sint, procedit, licet secus se res habeat, quando cum patris concurrunt, quo casu saltem pro rata patris, non suæ personæ feudum recuperant, ob jus repræsentationis iis concessum in *Nov. 118. c. 3.*

§. II. Cognitis personis, videndum de modo, sub quo jure Retractus perfruuntur. Hic est, ut pretium, quod alter promittit, vel jam actu dedit, totaliter ac legitimè offerant, *c. 1. v. Titius. 2. f. 26. c. 1. 2. f. 9.* adde *Vultej. lib. 1. de feud. c. 10. n. 104.* & *Hartm. Pistor. lib. 2. quæst. 12. n. 3.* in pecunia numerata, quod si emptor recuset, utilis quidem est, sed non necessaria, ut plerique judicant, illius consignatio ac depositio, utilis ad hoc, ut à tempore consignationis ac depositionis offerens fructus lucretur, quando illa plenariam inducit liberationem atque solutionis effectum, per *l. 9. C. de solut. non verò necessaria,* quoniam hic saltem agitur de forma statuti, vel consuetudinis implenda ad fundandam actionem, cui sufficit nuda ac simplex pecuniæ oblatio legitimè facta. *l. 2. C. de pact. inter empt. & vend. l. 9. §. 5. ff. de pignor. act.* Cæterum notes, quòd si pretium legitimum valorem excedat, non sufficere, ut retracturus, isq; proximior aliud æquum justumq; pretium offerat, sed nihilominus id, quod reverà solutum reddere necessum sit, cum illud saltem attendatur pretium, quod quis à licitatore consequi potest, imò res tantum valeat, quanti vendi potest, *arg. l. 14. pr. ff. de cond. furt. l. 52. §. 29. ff. de furt.* quamvis sint, qui putant, Domino, vel alio proximior volente redimere, novam esse faciendam feudi venditi æstimationem, eò quòd pretia rerum non constituentur ex affectione singulo-

B 2

rum,



affinitatem, Merckelbach. in Epitom. Tiragvell. consl. 41. cui ad-  
rum, l. pretia rerum. ff. ad L. Falcid. sed communi religionis  
æstimatione: Ad quod paucis respondeo, cum nemo  
suum facile jactare præsumatur, nec judicandum, quòd  
primus emptor, à quo Dominus, vel Agnatus vult re-  
trahere, majus pretium addicere voluerit, quàm par sit;  
Limitatur tamen hæc regula de æquali pretio: (1) Si  
collusio & fraus mendacis Vasalli ac colludentis emptor-  
is ad deterrendum Dominum interveniat. (2) Si qui-  
dem fraus nulla subsit, interim animosus quidam occur-  
rat licitator ultra modum agens justum æquumq; pre-  
tium. arg. l. ult. C. de Jure Emphyt. tum tot. tit. plus valet, quòd  
ag. quàm quòd sim. jung. Job. Ferrar. Mont. lib. 4. feud. c. 5.  
Quòd si verò in uno anno, durante jure Retractus, plu-  
res fuerint celebratæ feudi alienationes, videlicet primo  
emptore feudum rursus vendente secundo, hoc iterum  
tertio, & sic consequenter, quale tum attendi mereatur  
pretium, prius, an posterius, dissensionis ferram recipro-  
cant Dd. pro priori communior est sententia, quam &  
nos assensu excipimus, modò in priori alienatione majus  
intervenerit pretium, quàm in posteriori, vi textus in l. 19.  
§. 9. ff. de captiv. & postl. revers. l. 4. §. ult. ff. de pignor. act. quòd  
si enim minus pretium à secundo emptore datum sit, suf-  
ficit, si Dominus, Agnatus, vel alius proximior reddat,  
quòd posterior dedit. Berlich. lib. 2. pract. concl. 41. n. 25. Ad  
ultimum circa modum redimendi, ut loquitur Obertus, re-  
tractus revocandi per Retractum observes, ad integri pretii  
oblationem pertinere, ut illa expediatur cum omni causa,  
id est, cum omnibus sumptibus & impensis tempore con-  
tractus factis, Sutor. de Retract. c. 11. th. 24. Habn. ad Wesenb.  
de rescind. vend. Gail. lib. 1. obs. 19. n. 7. 8. & 9. ubi hoc etiam  
ad sumptus vini den Wein-Kauff extendit, tum etiam  
quòd retrahens pecuniam debeat habere præsentem,  
camq;



camq; emptori sine fraude offerre, arg. l. 72. §. 3. ff. de solus.  
l. 4. ff. de eo, quod certo loco. testibus tamen juxta l. 6. C. de U-  
sur. presentibus, quippe magnificam illam plerorumque  
Dd. solennitatem, qua volunt retrahentem, vel alium  
debitorem cum sacco venire, nummosq; excutere & nu-  
merare debere, ut plane otiosam ac superfluum respui-  
mus, cum Dom. Arum. tract. de mora c. 7. etsi tamen pretium  
omnino debet esse in pecunia numerata, neque pignora,  
aut fidejussores sufficiunt: quando, ubi pro forma solu-  
tio desideratur, non juvat, idoneum dare aut fidejusso-  
rem, aut pignoribus cavere. l. 6. §. 1. ff. quib. mod. pign. vel by-  
potb. solv. l. 10. ff. de pign. l. 21. 2. ff. de const. pecun. Hartm. Pistor.  
quest. 12. n. 6.

§. 12. Absoluto modo, succedit tempus huic revoca-  
tioni preafinitum, quod licet e locorum statutis & consue-  
tudinibus terminum agnoscat, Reink. de retract. q. 7. n. 7.  
Med. p. 2. decis. 251. n. 3. dum quavis Provincia suo sensu  
abundat, & hinc morem regionis observare tutissimum,  
l. 6. ff. de evict. Berlich. p. 2. concl. 40. pr. communiter tamen  
scienti annuum, ignorantibus tricenale determinatum, si ve a-  
lienatio facta sit in remotiorem agnatum, si ve in plane  
extraneum, per c. 1. §. porro. 2. f. 9. c. 1. vers. Titius. 2. f. 26. &  
ea, quae afferunt Hartm. Pistor. dict. p. 1. q. 12. n. 23. Rosentb. de  
feud. c. 9. m. 2. concl. 93. Carpz. pr. for. p. 2. consl. 50. def. 4. Struv.  
d. l. aph. 21. Ratio est quoad scientem, quia non tantum ita  
determinatum in c. 1. 2. f. 9. §. porro. & c. 1. v. Titius. 2. f. 26.  
verum etiam alias a jure retrahendi excluditur, & pro re-  
nunciante habetur, d. c. 1. vers. Titius. 2. f. 26. Boer. in Consuet.  
Bytur. de retract. §. 1. Glos. 1. id quod adeo certum est, ut nec  
morae purgatio locum habeat, si tribus forte vel quatuor  
horis, ne dicam diebus, post elapsum fatale, agnatus ad  
retractum accedere vellet, tempus enim de jure Proximi-



affinitatem, *Merckelbach. in Epitom. Tiragvell. conscl. 41. cui ad-*

scos forma est, quæ dum dat esse rei, ad unguem obser-  
vanda erit, *Berlich. pr. const. p. 2. concl. 40. n. 12. quoad ignorantem*; quia omnis actio hujus temporis intervallo perimitur. *l. fin. C. de præscr. 30. vel 40. annorum.* Sed utrumne, probabilem ignorantiam alleganti subveniatur remedio restitutionis in integrum è generali clausula Prætoris; *Si qua alia mihi iusta causa videbitur, in l. 1. ff. quibus ex caus. majores in integr.* disceptant Dd. mihi in hoc casu negativa magis placet, eò quòd hic expressè ignorantia quoad præscriptionem scientiæ æquiparetur, *d. c. 1. §. porro. 2. f. 9.* scienti autem restitutio haud facile concedatur. *vid. Hartm. Pistor. d. l. n. 39. & Vultej. de feud. lib. 1. c. 11. n. 108.* Cæterùm è quo tempore proximitas ut revocationis causa efficiens considerari debeat, hic non incongruè quæritur? Dicimus paucis, continuò à tempore venditionis per traditionem confirmatæ eam æstimari in tantum, ut si quis hoc tempore proximior fuerit, ei hæc diminui nequeat, per eum, qui postea conceptus. *l. 1. §. proximum. in fin. ff. unde cognati. adde Zoëf. d. l. n. 67.* Ne verò hæc proximitas & dein allegata ignorantia contrahentibus obsit, denuncient illicò omnibus proximioribus, & quorum ullâ ratione interest, initum contractum, quò sic impediunt ignorantiam, & annalem promoveant præscriptionem, dum aliàs à die notiæ tempus currit, *d. v. porro. 2. f. 9. & quidem usque ad triginta annos.* Necessum autem est ad hanc denunciationem, ut contractus & totum negotium cum omnibus suis qualitatibus ac circumstantiis in notitiam retrahentis deducatur, scire enim non dicitur, qui generalem duntaxat notitiam habet, sed qui rem penitus novit. *arg. l. 76. ff. de R. J. Hartm. Pistor. d. l. 12. n. 28. & 29. Mey. d. p. 2. dec. 252. n. 9.* Interim non opus est pluribus denunciationibus, sed una saltem legitimè facta requiritur,



87  
tur, arg. l. ult. C. de Jur. Emphyt. unde superfluum est quaerere, num scienti etiam facienda sit denunciatio, siquidem in feudali retractu nullibi denunciatio, sed saltem scientia requiritur, adeoq; se res secus habet, quam in alio retractu, de quo consulas Rosentb. de feud. c. 9. m. 2. concl. 94. n. 11. utrum verò, legitimè factâ denunciatione, annale spatium tam majoribus, quam minoribus præcisè currat, disquiritur. Ego quidem minori id currere, sed beneficio restitutionis in integrum eundem juvari, ac pupillo id ipso jure non currere censeo. vid. H. Pistor. d. 9. 12. n. 39. Demùm observes, annalem hanc præscriptionem solâ citatione pretiiq; oblatione interrumpi, nec necessum esse ipsâ litis contestatione, ut aliàs ingeniosè satis defendunt Pistor. ad q. 12. n. 44. & Schrad. de feud. p. 9. c. 7. n. 59. contra quos vide Rosentb. d. c. 9. concl. 94. n. 3.

§. 13. Post tempus veniunt ultimò *causa & casus*, in quibus cessat jus Retractus. Horum (1) & potissimus est, si eidem proximiores expressè renunciaverint, quippe legis & consuetudinis beneficia hanc in se continent conditionem, si is, in cujus favorem introducta, iisdem uti velit, l. ult. C. de except. rei jud. adde Mev. p. 2. Decis. 251. n. 8. quod si verò renuncians minor sit XXV. annis, adversus renunciationem beneficio restitutionis in integrum juvatur, per l. 44. ff. de Minor. nisi pubes factus renunciationem jurisjurandi religione firmaverit, in l. 1. & autb. juramenta puberum. C. si advers. vend. (2) Si proximior jus suum alii, quam consanguineo, cedere velit, arg. l. 59. §. 1. ff. de Jur. dot. nov. 55. c. 1. & eorum, quæ habet Mev. p. 2. dec. 253. n. 7. quod usque adeò verum est, ut si suspicio subsit, retrahentem agere in alterius gratiam, hic, præstito juramento calumniæ, asseverare teneatur, quod sibi, non in alterius gratiam, vel utilitatem retrahat. Gaill. 2. obs. 19. n. 10.  
Mev.



affinitatem, Merckelbach. in Epitom. Tiragvell. conscl. 41. cui ad-

*Men. ad Jus Lub. p. 3. tit. 7. art. 1. n. 3. Brunn. ad l. 5. ff. de N. O. N.* (3) Si quis, ad denunciationem factam, se emere, nolle declaraverit, & obtentu ignorantiae contractus unius, alteriusve circumstantiae ad retractum postea redire velit. *Men. d. p. 2. dec. 253. per tot.* (4) Si venditio fuerit simulata, eò quòd per hanc non abdicetur rei dominium. *l. nuda. C. de contrah. empt. confer. Zoës. dict. loc.*

## SECTIO II.

### DE MODO REVOCANDI & JURE SUCCESSIONIS.

#### §. I.

**E**Xplicito primo revocandi modo è JURE PROTIMISEOS, nec non altero hoc è JURE SUCCESSIONIS superiori Sectione leviter descripto, opus est ad fusiorem hujus materiae intellectum hunc quoque, quantum instituti ratio indulget, paulò explicatiùs tradere: Ubi ab initio observes, totum hoc jus in revocatione, non praelatione consistere, quando hic feudum alienatum non retrahitur, sed tanquam proprium è jure successionis devolutum vindicatur: Non enim è jure sanguinis, sed solà succedendi facultate æ stimatur, *Gotthofr. Anton. Diss. feud. 10. th. 3. Hartm. Pistor. l. 2. q. 7. n. 28.* secus ac in Retractu Gentilitio, ubi totus respectus vertitur ad sanguinem. Ex quo est, quòd lineæ & gradus in hoc jure exactè observari debeant, quippe non alio pacto competit, quàm delatà successionem. Unde, sive unum, sive plures, idq; ob æqualitatem gradus, vel jus representationis ordo succedendi tangit, ad eos in universum omnes feudi revocatio spectat, *H. Pistor. d. p. 2. q. 6.*

imò



imò etiam ad eos, quibus per investituram aliàs regulariter non successuris succedendi facultas parata, veluti parentibus, si vel investituræ pacto comprehendatur, *Schrad. p. 7. c. 4. n. 3.* vel ipsi feudum antiquum, contractâ fiduciâ, filiis refutaverint, *c. un. 2. f. 49. Zas. p. 8. n. 2.* modò non in alienationem consenserint, quippe consensus instar renunciationis est, & renuncianti regressum præcludit. *c. 1. v. Titius. 2. f. 26. Mart. Laud. in c. un. pr. 2. f. 50. Schenck. Baro in c. 1. v. prætereâ. 1. f. 5.* Ubi tamen simplex consensus absque hæredum mentione factus consentientibus hæredibus præjudicium non affert, ob fortem, præsertim in odiosis, præsumptionem, è qua nemo successori, sed sibi tantùm præjudicasse censetur. *Rosenth. de feud. c. 9. m. 2. concl. 79.*

§. 2. Competit hoc jus revocandi *Agnatis*, non *Filiis* alienantis. De *Agnatis* res evidens est è *c. un. §. 1. 1. f. 8. & tit. 39. 2. f. tum §. Titius. 2. f. 26.* ibi: *Sempronius proximior agnatus, mortuo demùm Titio, partem illius feudi, nullo dato pretio, recuperare potest.* Nec minùs è perspicua hac ratione, quòd his vi primæ investituræ proprio jure succedentibus nec consentiens Dominus, nec alienans Vasallus queat præjudicare, non *ille*, quia contra primam investituram, in qua hi sunt vocati, ad illorum præjudicium disponere non valet. *Jacob. in verb. & cum pactum. n. 14.* Non *hic*, quia ab eo non habent causam agnati, id est, non mediante eo succedunt, sed vi primæ investituræ. *1. f. 14. H. Pistor. d. p. 2. q. 6. & Struv. d. l. aph. 16.* De *Filiis* meritò dubitatur, cum pro his militet immotum juris principium: ad quem spectat successio, ad eundem quoque revocatio, at verò his deberi successionem, indubium sit, per *c. 1. pr. 1. f. 8.*

C

mediante

GRYPHISWALDIÆ

Typis MATTHEI DEISSNERI, Reg. Acad. Typogr. 1676.



mediante patre, à quo jus sanguinis habent, succedere queant, patre autem cum consensu Domini licitè alienante, in eos nulla successio deferatur, nec possunt ipsi feudum utpote ad se verè non transmissum petere aut revocare, nil dicam de honore ac reverentiâ parentibus debitâ, cujus certè intuitu in conclus. Ste-tin. Pomeraniæ tit. 2. de feudis Pomeran. q. 11. quæ ita habet: Wann der Vater die Lehne mit seinen Brüdern / oder Vettern getheilet / und deswegen gewisse Verträge auffge-richtet / ob Söhne / wann sie vermeynen / dadurch graviret und verkürzet zu seyn / die Theilung rescindiren und hinterziehen können? rectè conclusum: Daß solches von ihnen nicht geschehen könne / nisi dolus & fraus & læsio ultra dimidium justii pretii intervenerit. Confer. H. Pistor. d. p. 2. q. 5. & Struv. d. l. aph. 16. ubi contrariis argumentis respondet.

§. 3. Perspecto, quibus competat hoc jus revocandi è successione, dispiciendum, quando & quo casu obtineat: Competit autem Agnatis non prius, quàm post mortem alienantis, ejusq; liberorum, si qui adsunt, d. S. Titius. quem scitè explicuit H. Pistor. d. q. 6. n. 63. junge Carpz. p. 2. const. 48. def. 13. non solum in casu, quo in extraneum, sed etiam quo in remotiorem agnatum feudum fuit alienatum, d. S. Titius. verb. proximus agnatus. H. Pistor. d. l. n. 20. imò etiam in casu, quo uni è pluribus agnatis existentibus in pari gradu feudum venditum, utpote quo reliqui pro rata illud revocare valent. H. Pistor. d. q. 6. n. 30.

§. 4. Cognito, quando & quo in casu, proximum est, ut subjiciamus, quousque, dicimus paucis, usque ad XXX. annos computandos à tempore, quo cuivis successio defertur, indistinctè, siye alienatio fuerit

fuerit

1110



fuerit facta in agnatum remotiorem, siue in personam prorsus extraneam, cum enim in toto Jure feudali juri revocandi feuda nullus certus sit præfinitus terminus, non immeritò illud communi omnium actionum periodo, quæ 30. annis absolvitur, l. 3. C. de præscr. 30. vel 40. ann. censetur circumscriptum, Schrad. de feud. p. 3. c. 8. n. 39. tantò magis, quò aliàs, ubi contrarium non est determinatum, in feudis quoque 30. annorum præscriptio attendatur, c. un. vers. si quis per 30. 2. f. 26. c. un. Sporro. 2. f. 9. idq; indiscriminatim, quando aliud expressè statutum non deprehenditur. arg. l. 14. ff. de Relig. & sumpt. fun. Nec obstat sæpè allegatus §. Tutius. quoniam verba: *Vel per annum, ex quo scivit, tacuit*, quæ plerique quoad remotiorem agnatum explicant de annuo spatio, non intelligenda de revocatione è jure successionis, sed jure Protimiseos, quæ cum datur, successione ad agnatos devolutà, ob solum jus proximitatis, æquè ut in allodialibus, rectè ad annum restringitur, Struv. d. l. aph. 18. quorum occasione quæro: Utrum, si proximior agnatus feudum alienatum 30. annorum interjectu non revocaverit, ejusdem possessor adversus alios agnatos tutus esse queat, qui, illo vità functo, proximiores existunt? Dico, quòd non, eò quòd feudum ad omnes agnatos vi primæ investituræ æquo jure spectet, nec per negligentiam alterius, contra quem impleta præscriptio, auferri alteri queat. arg. 2. f. 39. Cui consonat Jus feudale Mecklenburg. tit. 21. *Wie und durch was rechtliche Mittel die veräußerten Lehne können und mögen revociret werden. art. 19. ibi: Es kan auch den agnaten die Verjährung der Zeit / welche / ehe und zuvor die successio an sie gelangt / verfloßen / und gegen den negsten agnaten /*

C 2

entwe

GRYPHISWALDIÆ

Typis MATTHÆI DEISSNERI, Reg. Acad. Typogr. 1676.



entweder angefangen / oder auch ganz compliret / und vollzogen ist / nicht im Wege stehen / noch sie von der revocation ihrer Stamm-Lehne abhalten. § 20. ibi: Sondern es wird die præscriptio und Verjährung wider einen jeden agnaten / von der Zeit an / wann ihm die successio erreichet / und er das jus revocandi erlanget / computiret und angerechnet. adde Struv. Syntagm. Jur. feud. cap. 13. aph. 18.

§. 5. Post terminum huic revocationi præfixum conducit exponere, quibus in feudis locum habeat. Prout autem in feudo è pacto & providentiâ continuò obtinet, cum in eo jure hæreditario agnati non succedant, adeòq; citra controversiam revocare possint, nisi quòd in casu, ubi simul hæredes alienatoris existunt, pretium, quandoque etiam interesse restituere teneantur, H. Pistor. d. l. q. 9. n. 40. & Carpz. d. p. 2. const. 48. def. 3. ita in hæreditariis tam meris, quam mixtis omninò cessat, quia in utroque ut hæredes succedunt agnati, adeòq; è facto defuncti obligantur. H. Pistor. q. 14. Berlich. pr. conclus. p. 2. conclus. 55. n. 16. & seqq. tum conclus. 57. n. 7. Nec minùs cessat hæc revocatio in feudo novo, quando regulariter in eo nec filii, nec agnati adeò radicatum jus habent, ut ipsis cum consensu Domini à possessore auferri nequeat. Berlich. d. p. 2. concl. 57. cui concordant Const. Mecklenburg. de feud. d. tit. 21. art. 1. ibi: Die neuen Lehne / welche mit Bewilligung der Lehn-Herren veräußert seyn / können und mögen von den Söhnen nicht revociret werden. § 2. ibi: Und wird hierin kein Unterscheid gemacht / ob die Söhne ihres Vaters Erbschafft angenommen / oder repudiiret haben / und ob das neue Lehn als ein Erb-Lehn / oder auch cum pacto & providentiâ verliesen wäre / denn in diesen Fällen keine revocatio Staat hat. Licet dentur casus, quibus



in novo feudo jus succedendi filiis, vel agnatis adeo competit, ut ipsis illud a possessore nequaquam auferri queat, nempe si patri respectu filiorum illud datum sit, vel agnatis jus succedendi expressè tributum. *Rosentb. d. c. 9. concl. 66.*

§. 6. Viso termino, expedit scire, quibus denegetur jus revocandi: Excluduntur autem ab eo non solum *Agnati*, si consenserint in alienationem, verum etiam eorum *liberi*: quamvis ad liberrimum agnatorum arbitrium referatur, consentire velint, an non, neque alienantis inopia iis præjudicium faciat. Cæterum non sufficit, agnatum alienationi præsentem fuisse, eiq; cum silentio cohabitasse, sed exigitur, ut verbis, vel facto declaraverit, se ut agnatum in alienationem consentire. *Rosentb. de feud. c. 9. concl. 77. & 78.* Atque hinc est, quod, licet tanquam testis subscribat contractum, vel requiratur, ut emat, nihilominus feudum recuperare queat. *H. Pistor. d. l. n. 11.* Nedum sufficit, unum ex agnatis ejusdem gradus consensisse, sed omnium consensus desideratur, eo quod consensus strictè accipiatur, neque de persona ad personam, neque de re ad rem extendatur, *Rosentb. d. l. c. 9. concl. 80.* quin potius, si unus saltem ex agnatis ejusdem gradus consenserit, cæteris adhuc pro ratis portionibus, superstiti consentiente, feudi revocatio competat, *H. Pistor. d. q. 7. n. 24. Berlich. dec. 125.* nec rati habere opus habeat agnati alienationem, utut famis, alteriusve necessitatis causâ factam, nisi ob hujusmodi debita feudalia peracta fuerit, quæ aliàs etiam ab agnatis fuissent solvenda. *Struv. d. l. apb. 19.*

§. 7. Penultimò placet brevissimis adjicere:  
An emptor feudi recuperet pretium, adeoq; hæredes

C 3

alic-

GRYPHISWALDIÆ

Typis MATTHEI DEISSNERI, Reg. Acad. Typogr. 1676.



alienatoris, revocato feudo, ad illius restitutionem teneantur? concludo, quod sic. Etsi enim in illicita feudi alienatione scienti facta evictio non debeat, nec pretium repeti possit, quasi in poenam, res tamen secus est, quando feudum cum consensu Domini distractum, quia disertè in placitis feudorum amissio pretii per modum poenæ in casu tantum illicitæ alienationis statuta, quæ veluti odiosa ad casum diversum trahi nec potest, nec debet. Tum quia feudum, ut verba addam *Frantzki de Evict. n. 127. p. m. 758.* non reputari potest pro re aliena, sed Vasalli propria, utut illud certo modo ex prima investitura devolutioni ad agnatos obnoxium sit, quæ cum in incerto planè eventu posita est, & honesta causa adesse possunt, quæ suadeant revocationi vel nunquam, vel non ita statim locum fore, dum fortasse venditori plures sint liberi successiones feudalis capaces, agnati pauciores, vel si etiam horum plures sint, incertum, utri supersites futuri sint. Unde licet hætenus emptor propter scientiam qualitatibus, quam in re emptæ habet, in mala fide esse existimetur, quia tamen, cur emerit, probabiles habet causas, dolo caret, nec cum emptore rei simpliciter & prorsus aliena comparari potest, qui & volens Dominum defraudat, & ideo non immeritò periculum & jacturam pretii subit. Quæ de causâ & *Isernias in c. 1. vers. rursus. vers. vel postquam quibus. mod. feud. amitt. autorem hujusmodi hoc respectu bona fidei appellat & d. l. si fundum. 27. sicut & d. l. ex empto. 11. §. fin. de act. empt. propter manifestam rationem diversitatis antea allegata, junge Struv d. l. apb. 19. & Rosentb. d. c. 9. concl. 99. Carpz. p. 2. const. 49. defn. 8. 9. 10.*

§. 8. Ad ultimum, cum nemo in judicio sine actione rectè experietur, l. 6. §. 12. ff. de neg. gest. ineptum foret, actiones in utroque remedio revocandi competentes omittere. Observetur igitur, è Jure Promissos



87  
miscos duplicem oriri actionem: Nempe merè per-  
sonalem è Retractu conventionali, quia ex pacto ori-  
tur & obligatione, cuius proprium est producere a-  
ctionem personalem, per §. 1. *Inst. de Act.* quare nec in-  
tertium possessorem datur, sed tantum in eum, qui se,  
ad retrovendendum obligavit, quæ an tempore tol-  
latur? distinctione solvimus inter tempus definitum  
& indefinitum, ita ut priori casu tempus faciat finem,  
posteriori non æquè. *arg. l. 2. C. de pact. inter empt. & vend.  
comp.* E Legali verò, vel Gentilitio conditionem  
ex moribus feudorum, nam quodocunque obliga-  
tio novâ lege introducta est, nec cautum quo genere  
actionis oporteat experiri, ex eadem lege agitur. De-  
mum Revocatio è jure successionis tribuit actionem  
revocatoriam, quæ nihil aliud est, quàm vindicatio  
feudi, & in eâ circa fructus & impensas idem obtinet,  
quod aliàs in rei vindicatione, ex quo agit in hac a-  
ctor adversus possessorem, ut feudum cum omni cau-  
sa restituat, id est, cum omnibus fructibus tam perce-  
ptis quàm percipiendis, *arg. l. 48. §. 1. de a. rer. d. l. 25. §.  
fin. ff. de Usur. l. 22. C. de R. V. §. 3. de O. J. junde Mey. part.  
5. dec. 330. n. 4.* modò priùs demonstrat, se è linea pri-  
mi acquirentis descendere, vel ejusdem esse cum alic-  
nante lineæ, *arg. 2. f. 50. sibiq; feudi successionem  
jam delatam. Vid. Struv. d. l. apb. 17. cui  
jungas Rosentb. d. l. c. 9. concl. 62.*

**Tantum  
pro ratione instituti!**

**ADDI-**

GRYPHISWALDIÆ

Typis MATTHEI DOÏSCHKEI, Reg. Acad. Typogr. 1676.



# ADDITAMENTA

## JURE PUBLICO.

I.

**U**trum Imperator sit Status Imperii? **N.**

II.

Utrum is solus controversiam de precedentia inter Status Imperii dirimat? **N.**

III.

Utrum de Feudis Regalibus solus judicet? **A.**

IV.

Utrum lites in Camera pendentes ad iudicium aulicum vocare possit? **N.**

V.

Utrum ab Imperatore ad ipsum Imperatorem detur appellatio? **A.**

VI.

Utrum exactio Papalis Annatarum sapiat actum Simoniacum? **A.**

VII.

Utrum de bonis Ecclesiasticis domania constitui possint? **D.**

VIII.

Utrum bona Ecclesiastica queant alienari? **D.**

IX.

Utrum cognitio de Feudis tam majoribus, quam minoribus pertineat ad jus Austregarum? **N.**


¶¶¶

1111























the scale towards document

STATIO SYNOPSIS. 75

*asallus. n. 2. 2. f. 22.* intellige tamen non  
rata, sed publicâ judicis autoritate.

*v. (3) Quod in feudis regalibus intra* & Appel-  
lacione.

*un. quo tempore miles investituram petere*  
*Regalibus*, quoad cetera enim feuda in  
is juris communis dispositio serva-  
dali nil aliud cautum reperitur. *Vul-*  
*8.*

nitâ atque examinatâ quandoque, *Sententia*  
ingularia causâ hactenus in ventila-  
proceditur tandem ad *latio & pu-*  
*publicationem*, in cujus

one imprimis considerandum venit,  
quod ex investiturâ ut plurimum di-

ote cujus tenor pro regulâ est in con-  
bus, *Lindeman. d. feud. c. 4. §. 22.* Et si

uâ exhibitæ fuerint investituræ, ma-  
nent antiquior, *arg. c. 1. in fin. 2. f. 18.*

randam, si posterior eidem adverse-  
dem, vel errorem impetrata præsu-

*s. n. 24. vol. 4. Roland. à Vall. conf. 1. n. 65.*  
is sententiis observantiæ imprimis

inis habenda ratio est, *c. 1. de feud. com-*  
m primo præ jure communi statuta, *Jurium lo-*  
observentur, & his demum deficienti-  
calium ob-

li, vel Canonico, vel etiam ipso Ju-  
servatio in  
ni decisio petatur, *dict. c. 1. de feudi*  
ceptione  
odum hac in Pomerania nullo in ne-  
præ jure  
ra communia prius observantur,  
communi,

lares, vel universales hujus Provin-  
cia

K 2